



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

2. Ambra Pererrat Agros.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

nem hanc infringere, & prædictas villas auferre voluerit, liberam habeat potestatem *Wvirinbertus*, vel heres ejus sua recipiendi, vel quod voluerit inde faciendi. Hi sunt testes *Bernhard, Ibo, Benno, Bernhard, Wviribrach, Thiammo & Wvirinzo, Besce- lin, Acelin, Brunig, Hocil, Ermindag, Ekbraht.*

Quantum ex vetustis literarum monumentis licet colligere, primi hujus urbis domini fuere Comites de Hallermundt, & deinde nobiles Domini de Homburg, ex quibus *Wernerus* nobilis Dominus de Homburg An. 1003. filiam suam *Adelheidam* *Sigefrido* Comiti de Eberstein in matrimonium dedit, *Ludamque* dotem despondit. Quam longo post tempore Eberstenij possederunt, & *Albertus* Comes de Eberstein ære alieno oppressus An. 1212, Abbati Corbejensi primò oblatam, sed per somnolentiam, ut ferunt, neglectam, Paderbornensi Episcopo vendidit. *Ioannes Seilerus* in Chron. Pymontano MS. cap. 21. & 22. Cæterùm graves ac diuturnæ, de Comitatu Pymontano & Ludensi præfectura, cum *Spiegelbergijs, Lippiensibus, Gleichijs, & Waldecensibus* Comitibus subinde exortæ lites, quæ multo utrimque sanguine, ac damnis impensisque maximis steterant, faustis denique auspicijs An. 1668. compositæ, constabilita in Pymontanum Comitatum successione Paderbornensis Ecclesiæ, & omni Ludensis agri jurisdictione eidem transcripta, nunc tandem conquiescunt.

2. AMBRA PERERRAT AGROS. Sic ad An. 784. appellatur *Astrono.* apud *Reuberum.* Auctori vitæ *Caroli M.* apud *Pithæum.* *Adelmo.* Regioni. & Poëtæ *Anonymo.* Accolis est *Emmer*, quæ sub radicibus silvæ *Teutoburgiensis* in *Paderbornensi* Diœcesi oritur, & *Steinhemium, Schidram, Ludam,* & arcem *Pymontanum* prætervecta, in *Visurgim* effunditur. AMBRO-